



Disputatio medica inauguralis de pleuritide

<https://hdl.handle.net/1874/347257>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

D E

PLEURITIDE,

Q U A M ,

DIVINO FAVENTE NUMINE,

Ex au^toritate Magnifici D. Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S. S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in inclyta Academia
Ultrajectina Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in
Ecclesia Præconis,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimeque
Facultatis MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

HENRICUS ROESENBOSCH, JUNIOR. Amstelod.

Ad diem 12. Decembris, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc lcc LXXXIX.

Spectatissimis atque Eruditissimis VIRIS,

- D. REINERO de SWAAN,
Domino de Poelenburg.
D. GEORGIO BOUKART.
D. CASPARO de BLOIS à GINDER-
DEUR.
D. DAVIDI de BLOIS à GINDER-
DEUR.
D. JOANNI BARCHMANDE WALE,
Studiorum meorum fautoribus summis
perpetuo honore colendis.

NEC NON

HENRICO ROESENbosch , patri
meo dilectissimo.

JOANNI ROESENbosch , Fra-
tri germano.

D. JOANNI MATON , Medicinæ
Doctori.

MATHIÆ RITMEYER , affinibus.

*Hanc disputationem inauguralem qua
par est veneratione*

Offero & dedico

HENRICUS ROESENbosch , JUNIOR.
Author.

D I S P U T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S ,

D E

P L E U R I T I D E .

T H E S I S I.



Nter gravissimas humani corporis ægritudines non immerito thoracis morbi censendi sunt, & inter hos non infimum locum Pleuritis tenet, morbus nostratisbus adeo familiaris, ut vix ullus præterlapsus sit annus, quo non ingens numerus hoc Endemio quasi correptus sit morbo. Pro gradu doctoratus de materia aliqua medica disputaturi, hanc eligere quam de abdita sermonem facere maluimus; plurimos de eadem hac materia disputasse nos non latet, ut mirum non sit, si quid commune & ejusdem sententiæ cum aliis habeamus, alias enim de eadem re eodem modo cogitasse non impossibile cuiquam videri potest. Ut autem à definitione exordiamur, Pleuritis Pleuripneumoniæ species, est inflammatio alicujus partis membranæ Pleuræ, à qua suam denominationem mutuata est, sicuti Peripneumonia ab ipsis pulmonibus, Paraphrenitis à diaphragmate. Non autem hic solam pleuram affici præcise statuimus, cum & pulmoni ex parte, interdum & muscularis intercostalibus, membranis humeri, juguli &c. inflammatio ista communicetur. Symptomata ejus sunt, dolor puncitorius in latere affecto, febris continua acura, tussis ac sputum interdum cruentum, difficilis ac frequens respiratio. Ut autem debitam & distinctam hujus morbi perceptionem acquiramus, ante omnia necesse erit, ut rite intelligamus, quid ipsa inflammatio sit, & quomodo generetur.

A 2

In.

4 DISPUTATIO MEDICA

I I.

Inflammatio sive Phlegmone est tumor cum partis rubore, dolore, & calore. Tumor, extensio aliqua præternaturalis, fit à majori vasorum expansione, atque hæc ab interclusione aliquujus humoris, qui per ista vasa transire debuerat; qui cum à tergo affluere non desinit, necessario sequitur, ab hujus collectione vasa ista adimpleri debere, partemque cuius vasa sunt, extendi, atque tumorem fieri. Ista autem interclusio qua humor in transitu suo retardatur, vel plane fistitur, humoris culpa fit, vel vitio vasorum, quæ humor iste pervadere debet. Humor enim frigore vel fermento aliquo acido incrassescere, imo coagulati potest, ut qui tenuis satis & subtilis esse debebat, jam pro crassitie sua ineptior sit, ut minima vasa penetret & permeet. Sic vasa quoque intenso gelu coarctari, vel alia de causa justo angustiora atque minus patentia fieri imo & disrumpi possunt, ut humori alias satis bene constituto nullum plane vel saltem non sufficientem nec liberum dent transitum. Hinc humor in vasis ipsis se colligit, accumulat, vasa illa nimium replendo expandit, cutim elevat, atque tumorem gignit. In quo tumore tres illi gradus considerandi sunt, ejus nimirum accretio, status, & decretio. Crescit autem tumor, quam diu minor humoris copia recessu quam accessu, id quod ab hujus resolutione, vel à vasorum referatione dependet. Quisnam autem sit humor ille, qui phlegmonem facit, ex partis rubore sanguinem esse, jam clare constat, ad differentiam cedematis, quod ex lymphæ vitio suum ortum dicit. Dum enim omnis color rubeus in toto humano corpore à colore sanguinis dependet, necessario sequitur, ut quo sanguis copiosior in vasis, vasa numerosiora & cuti propinquiora, color iste ruber intensior sit. Pulmones enim rubri apparent, sic & jecur, lien, renes: istorum color non aliunde quam à sanguine provenit; expelle per siphonem sanguinem, & san-

I N A U G U R A L I S. 5

& sanguinis loco , atramentum , lac , vel tincturam veneris immitte , isto colore illa viscera impregnabuntur , quo liquor infusus imbutus fuerit.

III.

Phlegmones ergo causa erit impedita sanguinis circulatio , (non enim sanguis in totum in illa stagnare potest, quin hinc gangrena sequatur & Sphacelus) sic & tumoris ratio erit ejusdem sanguinis in illa parte collectio , ita ut dum tumor crescit, plus sanguinis pars inflammata recipiat , quam pro vasorum apertura transmittere possit. Ex. Gr. si singulis cordis pulsationibus dragma una sanguinis ad partem inflamatam prematur per arterias, & scrupuli tantum duo per ejus venas transeant, scrupulus unus minus refluit quam affluxus est. Hinc sequitur à copia sanguinis in ista parte singulis pulsationibus aucta , partem illam extendi debere atque phlegmonem fieri , eamque tam diu augeri, donec pressione allabentis sanguinis, arteriæ & venæ adeo extendantur ut transeundo sanguini sufficiant, vel sanguis condensatus iterum resolvatur , ut libere circuitum peragere possit.

I V.

Phlegmonæ præter rubedinem dolor conjunctus est, isque punctoriis vel pulsans, hinc ab œdemate quoque discrepat , in quo nullus plane dolor sentitur. Datur enim ingens fibrillarum numerus in corporis partibus sanguineis, major tamen in nerveis, quæ tactus organum constituunt. Harum autem fibrillarum tensio , contractura, ruptio , sive à phlegmones tumore, sive ab alia causa fiat, dolorem infert. Ut levis harum fibrillarum attractus jucunditatis & titillationis sensum excitat , sic major attractus, & valida alicujus objecti impressio, quæ hasce fibrillas nimium tendit, illis ruptionem minatur, imo ipsas violenter à se invicem separat, divellit, & quasi lacerat, doloris sensum exhibit. In omni autem dolore duplex sensus statuendus est , externus in parte dolente , cuius causam dedimus , & internus in cerebro , ubi ex motu succi nervei fit formalis doloris perceptio. In omni autem nimia fibrillarum tensione,

6 DISPUTATIO MEDICA

sive earum solutionem secum conjunctam habeat sive non ; motus succi nervei aliquo modo impeditur , vel plane sistitur , imo fibrillæ ab aliqua causa internâ vel externâ solutæ in cincinnos resiliunt , & succo nervo viam intercludunt : qui dum continuatur à cerebro , fieri non potest , quin si in motu suo perturbetur , cerebro istam perturbationem communicet , atque hinc mens ex ista perturbatione tristem istam cogitationem formet , quam dolorem vocamus . Dolor pulsans non aliud dolor est , quam in quo fibrillarum tensio arteriarum pulsatione augetur , sicuti punc torius in quo pauciores fibrillæ validius tenduntur .

V.

Calor inflammationis à circuitu sanguinis in inflammata parte minus libero deducendus est , quo enim magis partes solidæ fricantur , eo major in illis excitatur calor : ista autem frictio interne æque à sanguine ac externe ab aliquo objecto fieri potest , sic homo currens sit calidior , non aliunde , quam quod vasa sua à sanguine , majori vi & in majori quantitate circulante , magis premantur , & per consequens fricentur ; cor enim in homine celerius & fortius movetur dum currit , quam dum placidis gressibus procedit , à cuius majori motu major & celerior sanguinis circuitus dependet : nec obstat ut minor copia sanguinis per partem inflammatam transeat ad calorem excitandum , sufficit modo frictio & vasorum pressio in illa major sit . Atque sic breviter explicavimus quid Phlegmone : sive , partis inflammatio sit : ejus nempe tumorem à majori sanguinis affluxu quam effluxu : ruborem à dilatatione & repleione vasorum sanguinem continentium : dolorem à fibrillarum tensione , calorem denique à frictione vasorum fieri . Intellecta jam inflammatione conceptu non difficile erit , quid vera Pleuritis sit , & undenam ejus symptomata sequantur .

V I.

Pleuritis uti diximus , est inflammatio membranæ Pleuræ cum dolore punc torio in pectoris latere , febri continua acuta , tussi ac sputo interdum cruento , atque diffici ac frequenti respira-

spiratione. Membrana Pleura, est illa membrana quæ intrinsecus Thoracis cavitatem cingit, costis ac vertebris firmiter adhærens, & inter cujus duplicaturam arteriæ ac venæ intercostales, item nervi feruntur: hæc Pectoris motum necessario sequitur, & in inspiratione extrosum, in exspiratione introrsum movetur. In hac autem membrana diximus inflammationem fieri, id est, aliquam stagnationem sanguinis circulantis, cujus duplice causam dedimus, nempe vel coarctationem vasorum, vel incrassationem sanguinis. Coarctantur autem ejus vasa externo frigore, dum enim corpus calore solis, vehementi exercitio aut labore æstuat, pori cutis magis patent, & arteriæ ac venæ sanguine turgidæ magis tument, unde dum corpus illud adapertum, frigori importuno exponiatur, pori ejus inordinate clauduntur, & venæ atque arteriæ capillares, ut cuti proximæ, sic facilius constringuntur: Incrassescit vero & coagulatur sanguis, dum nimio sudore pauperatus, frigoris impatiens, & in coagulum pronus, vestitus culpa non satis bene sovetur, vel potu frigido & simul refrigerante vel condensante largiter & subito perfunditur. Ratio autem quare inflammatio Pleuræ potius, quam aliis corporis partibus accidat, à situ arteriarum intercostalium, impletum sanguinis præ cæteris sustinentium petenda est. Pectori enim sudor promptius excutitur, quam aliis partibus, & si quid noxii sanguini permixtum sit, huic per arterias suas tanquam primos Aortæ surculos præ aliis communicatur, argumento claro, ex hisce causis stagnationem sanguinis in Pleura potius, quam in aliis partibus fieri. In omni inflammatione diximus quatuor signa dari, ea tamen quæ visu dignoscuntur in cæteris, non apparent in Pleuride, propterea quod locus inflammationis non sit conspicuus, musculi enim Pectorales Pleuram obtegunt, & signa illa oculum effugere faciunt, quæ tamen revera adsunt. Quod non cadaverum exempla prostant hoc morbo defunctorum, quorum Pleura decuplo crassior reperta est; si jam tumor adsit, necessario & rubor aderit, quia ex eodem fonte à copia nempe sanguinis oriuntur,

8 DISPUTATIO MEDICA

tur : de dolore igitur & calore nullum erit dubium, de illo enim ægri aperte queruntur, hujus autem febris indicium est.

V I I.

Inter Pleuritidis symptomata primarius est dolor punctionarius in pectoris latere, mire excrucians ægros, qui quasi jugulari videntur; præ dolore enim ægri respirare vix possunt, quia ad motum thoracis dolor identidem exacerbatur, qui cum continuo in respiratione extendi & contrahi debeat, dolorem quoque continuo augere ac renovare non desinit. Rarum est ab Hildano, Zacuto Lusit, & Tulpio Pleuritides absque hoc dolore punctionario observatas fuisse. De hoc dolore ejusque loco in præcedentibus satis superque egimus, ne autem crambis cocta male sapiat, eadem quæ de isto dolore diximus, repetere non libet.

V I I I.

Alterum Pleuritidis symptoma febris continua acuta est, doloris assiduus comes, imo effectum : quid autem febris sit, quænam ejus causa, & quomodo à dolore producatur, in eo hactenus scriptores differunt, non hujus loci erit omnes febrium differentias, atque omnium scriptorum definitiones litteris mandare, quia brevitati studendum est, in generet tantum, de illa agere sufficiat. Febrem autem definimus morbum, in quo sanguinis æquilibrium tollitur. Per sublatum sanguinis æquilibrium justo majorem sanguinis copiam in arteriis quam venis intelligimus. In hac autem sanguinis æquilibrii sublatione omnis febris consistit, quo major est ejus sublatio & quo diutius durat, eo major & diuturnior febris est, & quo citius restituitur, eo celerius febris quoque cessat. Tollitur istud æquilibrium sanguinis duobus modis, vel ratione sanguinis vel ratione cordis. Ratione sanguinis dum à succo sive fermento acido vel alia re condensante crassior factus, atque hinc per minimas arteriolas in venas transire ineptus, in iisdem pro aliquo tempore moram trahit, unde arteriae à succedente sanguine magis replentur, venæ vero exinaniantur; illud enim livor sub unguibus, hoc pallor in cute arguit. Tollitur autem ratione cordis, dum illud secundum systolen

INAUGURALIS. 9

len justo validius & celerius movetur, ut isto valido ac celeri motu sanguis in arterias citius effundatur, quam per venas ad cor reverti possit. Iste autem solito major motus cordis ab influxu succi nervei dependet, prout enim succus ille nerveus varie constitutus est, vel varie movetur, in cordis nervos magis vel minus, celerius vel tardius, fortius vel debilius irruit, atque motum cordis omnes quoque illas variationes subire facit. Ex iis quæ hactenus dicta sunt clare intelligere possumus, qua ratione dolor continuam acutam inducat febrem. Nimia fibrillarum tensio in parte dolente motum cordis auget, & alterat, id est influxus succi nervei in parte dolente impeditus, ne circuitus ejus sistatur, alias sibi vias querit, quas minori cum molestia & in majori quantitate pervadere possit. Cum autem nullæ viæ sibi magis patulæ, & voluntati minus obnoxiae, quam nervi cordis, quippe quos noctes atque dies nullo interrupto motu transit, fieri non potest, quin in illos majori copia influat, atque motum febrilem exciter, aut si hi non sufficient, invita voluntate alios quoque nervos ingrediatur, & convulsiones faciat, quas indies ex ingenti dolore fieri videmus. Adde quod à parte dolente calidiori, atque calidioribus præ febri cæteris corporis partibus etiam sanguis incendatur, qui tum succum nerveum agilorem, atque pro tempore majori in quantitate de se promit, quam dum friget. Dolor ergo ab inflammatione excitatus, febris hujus symptomaticæ causa est, qui quia continuus & acutus est, febrem continuam quoque & acutam producit. Potuissemus in hunc campum altius descendere, sed ut breves simus, hic subsistamus, & ad tuissim cum sputu cruento atque difficiili ac frequenti respiratione, tertium hujus morbi symptomam peregrinus.

I X.

Tussis nihil aliud est, quam subita aeris expiratio ex levia momentanea quasi convulsione musculorum exspirationi inservientium. In omni enim inspiratione costæ thoracem cingentes à musculis suis extorsum flectuntur, & diaphragma deorsum: Hinc pectoris cavitas, cordis & pulmonum adaptatum receptaculum, dilatatur & ampliatur; quia autem in rerum natura nullum

B

dari

10 D I S P U T A T I O M E D I C A

dari potest vacuum, Pulmones, tanquam mobile corpus proximum, illud dilatatum spatiū replent, & ad costas usque expanduntur ab aëre, qui ad costarum motum suo cessit loco. Contrarium vero in exspiratione fit, in hac enim Thoracis costae per musculos suos introrsum se contrahunt & diaphragma abdominis muscularum juvamine sursum attollitur, hinc pectoris cavitatis minor fit & angustior, expansi pulmones rursum constringuntur, atque aér ingressus iterum excluditur. In hoc autem reciproco motu costarum ac diaphragmatis, atque mutua pulmonum dilatatione & constrictione totum illud respirationis negotium consilit. Quid ergo fiet si inflammatio membranæ Pleuræ accidat, quæ uti diximus costas pectoris intus proxime circumvestit, non ne thorax præ dolore ac tumore istius membranæ fere immobilis erit, ut respiratio non tam alter duci possit, sed crebrius repeti debeat, ad sufficientem aëris copiam sanguini subministrandam? id cum sine molestia fieri nequit, resperatio quoque difficilis ac frequens fieri debet. Nonne etiam succus nerveus in musculos pectoris, diaphragma, atque abdominis musculos alternis vicibus influens, dum in inspirationis motu interrumptur, nonne inquam in exspirationis motu augebitur, & convulsiones quasdam quamquam leves excitabit, quas tussim vocamus? si jam sputum aderit cruentum, certum erit signum inflamatam partem, pulmones ipsi contiguos infecisse, observante hoc Platero & aliis ob partium contiguitatem, pulmonem semper in isto latere inflatum fuisse, ubi Pleura infecta fuit. Atque sic breviter primaria Pleuritidis symptomata explicavimus, primaria dicimus, cum & alia interdum observantur, ut capitis dolores, agripnæ, sitis intensissima, vomitus &c, quorum cause ex præcedentibus facile deduci possunt. Antequam ad curam accedamus, paululum de prognosi dicendum restat.

X.

Morbus hic satis periculosus est, & cito ægros in summum vitæ discrimen dedit, vel medio tollit. Si absque ægri intentu finiatur hic morbus, terminatur vasorum resolutione, & materiæ

I N A U G U R A L I S . II

materiæ stagnantis dissolutione : si hoc autem fieri nequeat, copiosa humorum excretione, vel tandem inflammationis suppuratione, sive in empyema transmutatione. In Pleuritide laborantibus si sputum statim appareat inter initia, abbreviat morbum, si vero postea apparet, producit; hæc Hippocrat. aphoris. 12. Sect. 1 ; item qui Pleuritide laborant, nisi intra 14 dies superne purgentur, iis in empyema sit mali translatio, idem aphoris. 8. sect. 5; qui vero ex Pleuritide Empyici sunt, si à ruptione intra dies 40. sursum purgentur, liberantur, alioqui transeunt in tabem, idem auctor aphoris. 15. sect. 5. Non desunt tamen exempla Pleuriticorum, quorum morbus per naturæ crisis sublatus est, sive per spontaneos sudores, hæmorrhagias, alvi fluxum &c, vel per raram ac singularem metastasis in Phrenitidem, morbos articulares, ulcera tibiarum &c. degeneratus. Quo pulsus durior ac frequentior, eo majus vitæ periculum imminet.

X I.

Cura pro ratione morbi atque symptomatum instituenda erit, atque hac ratione primo convenient sudorifera caque non calida sive cardiaca, quæ cordis motum augent, sed potius minuant. Item alcalina diaphoretica, quæ sanguinem & humores coagulatos dissolvere valent: hæc si in principio morbi in debita quantitate propinentur, si malum non sit nimis truculentum, facile morbum profligant. Vide fabrum curatione 8. qui præmisso clystere, interdum & venæ sectione, solo antimonio diaforetico ad Æj. exhibito, multos Pleuriticos se curasse testatur. Inter symptomata urgentia dolor est, & motus febrilis, quos aliqui sola fere venæ sectione tollere nituntur, attamen non semper ex voto res succedit; præter ea, quæ externe dolorem leniunt, convenient interne antispasmodica, cinnabarina, saturnina, nitrosa & anodina diaphoreticis mixta, quorum hæc sit formula.

Pulv. Ocul. Cancer.

Antim. Diaphoret.

Sal. Prunell. a. gr. vi.

Sacchar. Saturn. gr. v.

B. 2

Cinn.

Cinnabaris antim. vel nat. gr. iv.

Capbur gr. ii.

Laudan nostr. gr. ii vel j.

Misce & detur hisce terve de die, pro constitutione morbi & ægri: hisce si pulsus nec remittatur nec dolor cedat, sub eorum usu vena fecetur, & sanguis educatur ad 3vj. 3vij. semel hisce terve, quo minus eo melius, modo febris & dolor cessent, nam viribus opus est ad sudorem expellendum, quo radix morbi extirpanda est: qui si hisce non sufficienter excitari possit ad dissolvendum mucum, & sanguinem coagulatum, alia methodo utendum, atque emollientibus & incidentibus, quæ poros arteriarum & venarum referare, atque materiam coagulatam attenuare queunt, tentandum; id quod mellita, passulata, hordeata, sperma ceti, radix glycyrrhysæ &c. præstant: quibus interdum acidum temperantia; & moderate incrassantia conjungenda sunt, ne materia sub sputiforma excreanda, interea temporis nimis tenuis & acris fiat, atque partes circumiacentes, ut & vasa quibus continetur, exulceret. Quod si sputum copiosius apparere incipiat, cocta materia expectorantibus, quæ tussim stimulant & adjuvant, educenda est; inter quæ hyssopus & nicotiana excellunt. Si autem omnibus hisce cautelis exulceratio evitari nequeat, suppuratione est promovenda; abstinentiam à fortioribus sudoriferis, & diaphoreticis, ne ulceris loco generetur scirrus, moderatis utendum, quibus tantum particularum stagnantium motus intestinus excitetur, non autem humidum eliminetur, externe locus maturanti emplastro vel cataplasmate tegendus est; perfecta jam suppuratione, si ulcus externe in cute locum designet, cultro aperiendum est; si autem non, nec sponte se aperiat, medicamentis emetica vi pollutibus rumpendum: ulcus porro mundificandum & consolidandum, ut in phthisi pulmonali ex pulmonum exulceratione fieri oportet.

F I N I S.